



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Continens Armamentarium Seu Panoplima Spiritualem - Id est, Varia arma
& media ad omnis generis tentationes fortiter sustinendas, & feliciter
superandas, Ad Omnium Quidem Animarum

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1688

Tent. I. Circa oppressionem Justorum ab injustis factam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48377)

CAPUT V.

DE TENTATIONIBUS CIRCA BONOS
HOMINES IN SPECIE.

HActenus eæ solùm tentationes sunt expositæ, quæ hominibus in communi accidere solent; quæ verò duo sunt genera hominum, malorum scilicet, & bonorum, & utrisque variæ itidem tentationes evenire solent, ideo separatim illas explicare, & hoc quidem capite, quæ bonis oriri consueverunt; posterius quæ malis accidunt, proponere statui.

§. I.

*Tentatio I. Circa oppressionem Justorum à
injustis factam.*

I. **H**onorius Opifex vir simplex & rectus videtur, & se, & concives suos, quantumcunque bene vivere studeant, à Magistratu contra omne fas exactionibus & pœnis opprimi, & præterea etiam graves persecutiones ab inimicis & hostibus perpeti, gravissimè tentatur circa Justitiam DEI tales oppressiones permittentis, cum potius bonis tanquam fidelibus servatis & amicis assistere, eosque protegere debuisset videtur. Quæritur, quomodo contra ejusmodi tentationem armandus sit?

Responsio.

II. Inprimis illi ostendatur, quòd ob ejusmodi oppressiones gaudere potius, & honoratum credendum quàm turbari, & tristari debeat, eò quòd ex iis collige-

te possit, DEUM non inanimas duntaxat creaturas, sed ipsos etiam homines ad ipsius servitium ordinaverit? quod enim majus, gratiusque obsequium præstari queat homini prudenti & bono, quam si juvetur ad præstantes virtutes, ipsamque charitatis perfectionem consequendam? atqui hoc mali oppressionibus & persecutionibus suis faciunt, uti sapienter Boëtius lib. 4. consol. prof. 4. advertit dicens: *Divina providentiâ insigne protulit miraculum, ut malos mali bonos facerent; nam dum iniqua sibi à pessimis perpeti videntur, noxi-orum odio flagrantés ad virtutis frugem rediére, dum eis dissimiles esse student, quos oderunt.*

III. Secundò illi narretur, quid S. Augustinus in Ps. 25. dixerit: surgunt, inquit, procellæ stagni hujus, vides malos florere, bonos laborare, tentatio est, fluctus est, & dicet anima tua, ô DEUS, DEUS, hæccine est justitia tua, ut mali floreant, & boni laborent? & DEUS tibi respondet: hæccine est fides tua? hæccine tibi promisi? aut ad hoc Christianus factus es, ut in sæculo floreres?

IV. Tertiò jubeatur quoque S. Dionysii Areopagitæ salutarem admonitionem considerare cap. 8. de div. dicentis: Quamobrem hoc dictu verius: hoc potius esse divinæ justitiæ proprium, nequaquam mulcere atque enervare vitilem optimorum quorumque animum largitionibus terrenorum. Neque si quis id tentet efficere, eos absque auxilio relinquere, sed illos in statu potius honesto & inflexibili solidare, eisque, cum sint tales, pro meritis reddere. Tunc enim virtutibus propinquant Angelicis, quando rerum divinarum desiderio pro vitibus ab omni bonorum terrenorum affectio-

ne discedunt. Jam verò ad hoc utiliter exercentur, dum angustias honesti gratiâ tolerant.

V. Quartò denique audiat iterum S. Augustinum l. 10. de sanct. subtiliter disputantem: *Ex scripturis divinis, inquit, Fratres charissimi, bonos & justos vultu persecutionem malorum semper sustinuisse cognoscimus, si diligenter consideramus, inveniemus illos majora supplicia sustinuisse. Omnis enim homo, qui alium in corpore persequitur, prius ipse in corde persecutionem sustinere cognoscitur. Nam si etiam illi, quem persequitur, aliquid de substantia sua tulerit, majus sibi ipse dispendium facit, quia nemo habet injustum lucrum sine justo damno; ubi lucrum, ibi & damnum: lucrum in aëre, damnum in conscientia. Et infra: Quæro abs te, tibi quare malè est? responsurus es: egestas angit, premissa difficultas, dolor fortasse membrorum, timor ab inimico. Tibi ideo malè est, quia pateris mala, & bene est illi, qui est ipsum malum? Tu, quod pateris, non es; malum enim pateris; sed tu malus non es. Ille hoc malum non patitur, & malus est. Noli ergo falli. Non potest fieri, ut tibi malè sit, quia pateris malum: & illi bene sit, qui est malus. Cùm enim malus est, putas, quia non patitur malum, cùm patitur seipsum? Tibi malè est, quia malum alienum pateris in corpore tuo: & illi bene est, qui malum patitur in corde suo.*

Tibi malè est, qui fortè malam habes vitam: & bene est illi, qui malam habet animam?

